





2100.

1872

D E C A S

# AXIOMATUM PHYSICORUM,

*Quam*

D. O. M. A.

*In Electorali ad Albim Academia*

S U B P R Ä S I D I O

*Clarissimi atq; Eximij*

V I R I ,

Dn. M. JOHANNIS Sperlings

Lauchâ Thuringi, Medicinæ Candidati dignis-  
simi, Præceptoris ac Fautoris sui omni honoris  
cultu prosequendi,

*Publicè discutiendam & ventilandam exhibet*

CASPAR Reinhardt Bregâ- Silesius.

*Die 29. Decembr. horis à 7. matutinis,*

ANNI decurrentis 15 CXXXI.


*In Collegio Majori.*

*WITTEBERGÆ,*

Ex Officina Typograph. AMBROSII ROTHI, Acad. Typog.

*ANNO M. DC. XXXI.*

*W. +  
Pro iure Humanis & et Doctrinæ Dr. Augustino Federico*





OMNIA Cum Deo.  
AXIOMA PRIMUM.

*Natura est Ordinaria D E I potentia, contra  
quam D E V S nihil agit, licet agat  
supracam.*

EXEGESIS.

**P**otentia D E I dividendi solet in *Absolutam* seu *Extraordinariam & Restrictam* seu *Ordinariam*. Licet enim, quemadmo-  
dum D E U S unus est, ita quoque una  
saltem sit ejus potentia : nihilominus  
tamen, quia ab alterâ parte agit abso-  
lutè, ab alterâ causis secundis sese ap-  
plicat, & ad modum modulunq; istarum operatur,  
rectè hoc pacto potentia D E I dividitur in *Extraordi-*  
*nariam & Ordinariam*. *Extraordinaria* est, quâ D E U S  
potest omnia rationem factibilitatis habentia, hoc est,  
quæ contradictionem & impotentiam excludunt. *Or-  
dinaria* est, quâ D E U S operatur secundum commu-  
nes leges & causas à seipso institutas. Duo igitur A-  
xioma datum indicat: 1. in naturâ elucidere potentiam  
D E I *Ordinariam*. 2. Contra hanc potentiam *Ordinariam* D E U M non agere. Res habet exemplum.  
V. num producitur ex uvis, & homo generatur ex fe-  
mine maris & foeminae, potentia D E I *Ordinariâ*; vi-  
num vero fit ex aquâ, & homo nascitur ex foeminae,

A 2

sine

sine mari, semine, non contra potentiam hanc ordinariam, sed supra eam. Errant ergo qui Naturam & Deum inter se opponunt, Deumque nonnunquam contra naturam agere contendunt, ac ita ex amicissimis faciunt inimicissimos, & ex Deo ipso non Deum. Si enim Deus contra naturam agit, contra suam ipsius potentiam agit; si contra suam ipsius potentiam agit, contra se ipsum agit: Deum autem sibi ipsi contrarium facere, est Deum facere Non-Deum.

## AXIOMA SECUNDUM.

*In rebus naturalibus numen inest, etiam minimis & vilissimis.*

### EX E G E S I S.

Physici veteres quoties naturae opera, seu supera seu infera, seu nobilia seu ignobilia, lustrare gaudebant, divina se tractare gloriabantur. Persuassimum enī in ipsis erat, infinitam Dei bonitatem, & sapientiam, in finitis rebus naturalibus, qualibuscunq; etiam latitare, & ex iisdem mentis nostrae acie posse erui. Hominum tamen vitio successu temporis multa, vel quod nimis vulgaria, vel quod parum preciosa, vilescere cuperunt. De qua hominum vanitate conqueritur Fernel. lib. 2 de abdit. rer. caus. c. 17. *Signis*, ait, *inventu admodum difficultas esset, nobisq; ab extremis & ignotis regionibus deferretur, illius quidem vim & proprietatem magis quam ceterorum omnium omnes admirarentur, illius causas attentius scrutarentur, illiusq; multò magis quam magnetis effectus nos in admirationem traherent.* Et paulo ante: *India si quid ejusmodi rarum carumq; sola protulisset, admirarentur omnines ac laudarent occultas ejus proprietates: nunc quoniam vulgariter est, parvoq; parabile, contemptum proinde est & nullo in precio?*

Hac

Hæc Fernelius. Redundum ergò ad genium antiquum, sinceroq; opera Dei, qui in minutissimis etiam rebus gloriæ sna speculum posuit, pensanda adsecū, & cum Euripide pleno subinde ingeminandum gutture:

*Omnia quotquot erunt, quoi sunt præsentia, quoq;  
Orta fuere ante hac stirpes, hominesq; foreq;  
Inde etiam volucres pīcesq; humoris alumni,  
Cuncta Deum referant præsentem in imagine parvā.*

## AXIOMA TERTIUM.

*Natura non per manifestas modo, sed etiam per occultas, actus est Qualitates.*

### E X E G E S I S.

Paracelsitæ Qualitatibus manifestis omnem fermè vim denegare laborant, easque mortuas, invalidas, & Relollaceas( ut loquuntur) appellitant. Alij ad istas opera quævis deducere conantur, Qualitatesq; Occultas ignorantia asylum vocare non erubescunt. Medium tenere beati. Calorem & frigus, cæterasque qualitates primas esse validissimas, quis est qui nescit? Stultum est, disputare contra sensum communemque experientiam. Ad manifestas verò qualitates omnia deducere velle, summa est impudentia. Jucunditatis, utilitatis & admirationis plenum est studium de Qualitatibus occultis suscepimus, quod qui evitare conantur inter Scyllam & Charybdin navigare, sæpe que rationes ineptas & ridiculas afferre, & toti experientiae sibiique ipsis contradicere turpissimè coguntur. Irre luet per exempla, non ex Indiâ, Æthiopiâ, aut qua-

A s tuor

tuor mundi partibus conquista, sed vulgaria, oculis,  
que, auribus, & sensibus cœteris cuivis obvia: Multi  
præsentia felis etiam cistæ inclusæ adeò vexantur, ut  
facultas vitalis insigniter periclitari videatur: multi ca-  
seum cœcis aversantur dissidijs, totoq; animo ab ejus  
esu, imò & visu, abhorrescunt: quis actiones Magnetis  
ignorat, quem non lapides, non virgulta, sed ferrum  
ad se promovere spectamus omnes: Fermenti quan-  
tula portio farinæ admista totam massam egrégie alte-  
rat: Et venenorū, quæ in minima quantitate maxi-  
mas habent vires, subitoque validissimos quoque ju-  
gulare queunt, naturam, quis est qui sat rimiri, sat mi-  
rari potuerit: Pestis tempore, quam multi, quam  
subito, quam miserè, necari solent ex genere ho-  
minum, salvis tutisque canibus, felibus, avibus, cæte-  
risque brutorum speciebus: Hæc & similia, quæ  
nam quæso è Qualitatibus Manifestis dare poterit ef-  
fecta: Omnino res delabitur ad Qualitates istas, quæ  
latent animos temperatos, illudunt curiosis.

## AXIOMA QUARTUM

*Opus naturæ est opus Intelligentie non errantis:*

### EXEGESIS

Intelligentia hæc est Deus ipse, sapientissimus,  
potentissimus, cui non secus ac naturæ ipsi adscribun-  
tur naturæ opera, qui vires operandi concessit, & ad  
omnia singulaq; opera efficacissimè concurrit. Cū for-  
tibus agit fortiter, cum debilibus débiliter, cum liberis  
liberè, cum necessariis necessariò, cum contingentib⁹  
contingenter. Notanter verò dicitur *Opus Naturæ*: quan-  
do enim dantur Naturæ πάρεστα & καμπτήμata, ad hanc  
Intelli-

Intelligentiam absq; insigni blasphemia recurrere non possumus. A summo enim bono, non nisi summè bonum, non potest non in quolibet genere & ordine entium profici sci. Sic Monstra Intelligentiae non errantis opera dicenda non sunt, quia, quatenus Monstra, ne opera quidem naturæ sunt, sed defectus, qui causam sortiuntur non tam Efficientem quam Dificientem.

## AXIOMA QUINTUM.

*Natura non deficit in necessariis, & si quis accessit defectus, illum alius compensat donis & bonis.*

### EXEGESIS.

Non iusta Noverca, sed provida benignaque Mater est Natura, quæ, non impedita, cuivis largitur necessaria. Sic brutis communicat testas, cortices, villos, setas, pennas, lquamas, vellera, cornua, dentes, & ejusmodi plura, cum ornamenta, tum mumenta. Homini vero, licet nudo corpore, nudo animo, omnia tribuit, scilicet non esse, non vivere, non sentire, non intelligere, quibus bruta etiamлагacissima & robustissima multis post se relinquit parasangis. Si verò præter intentionem aliquis accessit defectus, justissima hæc mater de novo quasi providentiam & benignitatem suam exercet, & cœco profundas speculationes memoriamq; tenacissimam manu sat liberali largitur, mutum digitis quasi mentis luæ conceptus manifestare præstat, aliisque aliter pro maternâ illâ adfectione instruit, regitque.

## AXIOMA.

## AXIOMA SEXTUM.

*Natura nihil agit frustra.*

### EXEGESIS.

Agens omne à fine motu amoris & desiderii, sub ratione boni, stimulatur & impellitur: sublatis verò stimulis hisce ab actione desistit. Sic finem sibi præstiuunt milites, mercatores, pescatores, agricolæ, quo cessante cessant eorum actiones. Natura ergò dexteritate pari in suum tendit finem, nihilq; licet minimum esse videatur, in muudi producit theatrum, quod sine suo sit orbatum. Sic cilia inferiora negavit animalibus cæteris, homini concessit: ergò non frustrà, sed certissimum ob finem. Nimurum, quia.

*Os homini sublime dedit, cælumq; tueri*

*Iusfit, & erectos ad sidera tollere vultus;*

Igitur cùm ab inferiori parte etiam in oculos aliquid incidere possit, prudenter in hominibus iuferiora quoq; oculorum formayit cilia.

## AXIOMA SEPTIMUM.

*Nihil sub Sole est, quin sui usum quempiam præstare queat homini,*

### EXEGESIS

Parvus mundus in digitari solet homo, non tantum ratione graduum entium, vel etiam ratione intellectus, sed in primis ratione ordinationis, quia homo ut dominus ad omnia habet ordinem & respectum. Hinc effatum tritissimum: *Omnia propter hominem, homo propter Deum:* Hinc Scaliger Ex 250. *Cui retinet, inquit, facta est habitatio?* Animalibus. *Quis horum omnium autor?* Deus. *Quis secundum Deum & cum Deo?* Cœli. *Quis Cœlos fecit?* Deus. *Quod animal nobilissimum?* Homo

Homo. Propter hominem ergo Cælorum actiones. Igitur & propter hominem Cæli ipsi. Hæc Scaliger. Obscurum ve:ò admodum est, quomodo omnes corporum naturalium species factæ sint propter hominem, hoc est, bonum afferant homini. Sed coecitatem & improbitatem humanam accusemus, ut peremus: bonitatem & prudenteriam divinam laudemus, deprædicemus.

## AXIOMA SEPTIMUM.

*Leges naturæ non judicent supra naturam.*

### EXEGESIS.

Vt nulla ars, nulla scientia, nullusq; omnino habitus, suum egredi debet objectum, ita nec Physica. Manendum enim ubiq; in circulo, & vitanda maximè turpis-  
sima illa disciplinarum mixtura. Hoc si eâ, quâ decet, observaretur diligentiâ, non tanta à quibusdam inter Physicam & Theologiam urgeretur pugna. Physicis enim principiis pessimè subjungunt res mysticas, Phy-  
sico ignorantissimas: hincq; cœlum mari & mare cœlo commiscent. Nimirum ad subjectum Physicæ nunc corpus Christi, nunc partum virginis, nunc ignem in fornace Ba-  
bylonicâ, & necio quid non, transferre hanc erube-  
scunt; indeq; discordiam pugnamq; acerrimam inter Physicam & Theologiam esse proclaimant. Sed inge-  
minandum contra: *Leges naturæ non judicent supra naturam.*  
Oppositio nulla datur, nisi termini summantur 1.  
ωτιωλως, eodem modo 2. καὶ τὸ ἀντό, secundum idem.  
τὸ πέρι τὸ δύντο, adidem 4. ὅτι τὸ αὐτῷ χρόνῳ καὶ τὸπῳ  
eodem tempore & loco.

B

AXIO-

## AXIOMA NONUM.

Sensum dimittere in ijs, quæ sensibus manifesta  
sunt, & rationem querere, infirmitas  
quædam intellectus est.

### EXEGESIS.

Ἄργον τετέλεσα, Ratio & Experiencia à doctissimo quoque provero cognitionis omnis habentur fundamento, & quicquid cū his consentit, ceu verum recipitur; quicquid ab his dissentit, ceu falsum rejicitur. Rationem mittimus, de Experiencia unicūm notamus. Est ea singularium, circa quæ versantur sensus, & sit ex memoriā. Multæ enim ejusdem rei memoriarē, unius experientia vini efficiunt, ut loquitur Philosophus. Met. I. Ut ergo suam meretur laudem Ratio, ita etiam Experiencia, & ejus fundamentū Sensus. Igitur non nisi pertinax & insensatus rejicit iudicium sensuum, ob aliquales ratiunculas ἀπόφεσις διανοίας collectas. Sic queritur, quid judicandum sit de Chymicorum Chrysopœiā? Sensem hīc dimittere, testibusq; fide dignissimis, qui aurum arte Chymicā productum viderunt & attestarunt, ob ratiunculas quasdam contradicere, hominis est insensati, ingenijque pertinacis. Ne tamen quis persuadere gaudeat axiome dato, Solis quantitatē esse admodum exiguum, cœlum viridi colore esse tinctorum, lapidem aqua immissum statim majorem fieri seipso extra aquam spectato, & quæ sunt similia lippis & tonsoribus notissima, iudicium sensum admittimus cum triplici conditione: 1. ut sensus & objectum sint in legitimā distantia. 2. ut medium sit leg. timè dispostum. 3. ut organum sc̄e recte habeat.

AXIO-

## AXIOMA DECIMUM.

*Receptivum non recipit ad modum imprimentis,  
sed receptivitatis sua.*

### EXEGESIS.

In omni actione agens & patiens debent esse proportionata, quæ proportio querenda non est in identitate naturæ & essentie, sed virtutis, ut unum alterius influxum recipere possit. Hinc onus idem non æquè est grave viro & puerō, sano & ægroto, mulo & muri: idem solis calor non simul indurat lutum & ceram, sed hanc liquefacit & illud saltem indurat: idem venenū non ex homine derivatur in sues, ex suisbus in boves, & bovisbus in canes; sed ex homine in homines, & ex suisbus in sues: idem contagium non simul invadit inficitq; & hunc, & illum, & istum, sed non nullos invadere & inficere nescit. Hoc sensu Scaliger querit Ex 249.

*An Deus posset meliora facere que fecit, quam quomodo  
fecit? Et responderet, Deum posse quidem semper  
aliquid facere melius; rem autem ipsam  
non posse superare meliorita-  
tem quamvis.*

Ad

Præstantissimum & Literatissimum Dn.  
Respondentem Philosophiæ & Medicinæ Studio-  
sum solertissimum, Fautorem & Amicum  
colendum.

*Sic cinè nec Belli, nec Pœpis, tela trisulca  
Te retrabunt, Reinharde, à studio & studio?*

O Te

69.  
O Te felicem, ceptum qui tramite recto  
Et studium & studium continuare vales!  
Quam multos spes ambigua lusere! Sed, ESTO.  
Sanat, qui fecit, vulnera cuncta Deus.  
Tu Reinhardi tuus maneras: favitante Themistis,  
Pro studio & studio digna brabecferes.

Honoris ergo

f.

M. Johannes Sperling

---

Ergone nunc iterum specimen, REINHARDI, ministras  
Ingenii, positas quando quære theses?  
Sic est. Ars crebro vuit usum vincier: ex se  
Ars gravis est, facilem sed facit usum edax.  
Nam verè dictum: multo cadit arbor ab iatu:  
Sepe cadendo gravem gutta cavat lapidem.  
Ergo instas meritò. Vi pergis, sic pergere perge,  
Et MEDICAS posthac ingenio adde dapes.  
Sic TIBI pro tanti ausis certissimus olim  
Surget honos MEDICI PHILOSOPHIS boni.

Benevol. ergo

adprop. Imq;

M. Balthasar Meisnerus.


F I N I S.

**ULB Halle**  
004 961 196

3



WOM



jeſta  
ntec  
Por  
ditio  
ondi  
Leg  
m



1872  
2100. 12  
DE CAS  
**AXIOMATUM**  
**PHYSICORUM,**  
*Quam.* 29  
D. O. M. A.  
*In Electorali ad Albim Academias.*  
SUB PRÆSIDIO  
*Clarissimi atq; Eximij*  
VIRI,  
**Dn. M. JOHANNIS Sperlings**  
Lauchâ Thuringi, Medicinæ Candidati dignis-  
simi, Præceptoris ac Fautoris sui omni honoris  
cultu prosequendi,  
*Publicè discutiendam & ventilandam exhibet*  
**CASPAR Reinhardt Bregâ- Silesius.**  
*Die 29. Decembr. horis à 7. matutinis,*  
ANNI decurrentis 13 CXXXI.  
In Collegio Majori.  
*WITTEBERGÆ,*  
Ex Officinâ Typograph. AMBROSI ROTHI, Acad. Typog.  
ANNO M. DC. XXXI.

W. 4  
no 1825 Harmanis 10 et Doctor 10 Dr. Augustino Ferdero